

108

S. A. N.  
DISSERTATIO DIÆTETICA;  
DE

# PINGVEDINE ANIMALL,

QUAM,

CONSENS. NOBIL. NEC NON EXPER. ORD. MED.  
IN REGIA ACADEMIA UPSALIENSI,

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
**DN. Doct. CAROLO  
LINNÆO,**

EQUIT. AURAT. DE STELLA POLARI,  
S:Æ R:Æ M:TIS ARCHIATRO,  
MEDIC. ET BOTAN. PROFESSORE REG. & ORD.  
ACADEM. SCIENT. UPSAL. HOLMENS. PETROPOL.  
BEROLIN. IMP. NAT. CUR. LONDIN. MONSPEL.

TOLOS. ET FLORENT. SOCIO,  
PUBLICÉ VENTILANDAM SISTIT

**JACOBUS LINDH,**

UPLANDUS.

IN AUDIT. CAR. MAJ. AD DIEM XXIV. DEG.  
ANNI MDCCCLIX.

H. P. M. S

UPSALI

S:Æ R:Æ M:TIS  
MAGNÆ FIDEI VIRO  
SOCIETATIS COMERCIORUM INDIÆ ORIENTA-  
LIS DIRECTORI,  
NOBILISSIMO ET GENEROSO  
DOM. CLAUDIO  
GRILL,  
ACAD. SCIENT. HOLM. MEMBRO.

MÆCENATES

**M**irum forte VOBIS obveniet, quod cum  
Vobis innotuerim, tamen VESTRO  
ornare non dubitem, at ut ingenue  
fecit, verum patius animum addidit, Singularis  
imprimis Hist. Naturalis cultores respicere, haud  
non est qui aditum ad Vestri favoris aram Si-  
e VESTRIS NOMINIBUS lucem suis operibus  
dacia. Vota suis orationibus annexere ita invalu-  
mibi satis sit, illa pro perenni VESTRO FLORE  
verborum apparatu, ubique invenietis.

NOBILISSIMORUM VE

Cliens  
JACOBUS

SÆ RÆ M:TS  
CUBICULARIO  
NOBILISSIMO ET GENEROSO  
DOM. CAROLQ  
DE GEER.  
ACAD. SCIENT. UPSAL. ET HOLM. MEMBRO.  
SUMMI.

*non adeo felicem mihi esse contigerit, ut proprius  
RUM NOBILISSIMIS NOMINIBUS, hocce opus  
fatear, non vester erga me favor, audaciam hanc  
illa gratia, qua vel infimos Musarum alumnos,  
dignati fuistis. Quisquis enim e Phœbi Turba  
bi exoptat? nimiusque eorum foret numerus, qui  
mutuarentur, si pluribus tanta ac mihi esset au-  
it, ut aliquid deesse videatur, si non ad fuerint:  
intimo fovere pectore, quæ apud alios nudo forte*

STRORUM NOMINUM

*Devotissimus*  
LINDH.

SÆ RÆ M:TS

AD

LEGIONEM NOBILIUM MAGISTRO  
EQUITUM  
NOBILISSIMO

DOM. JOHANNI  
JENNINGS.

MÆCENATES

**O**b tot tantaque, in domum paternam  
cipiatis ergo, hanc dissertationem, gra-  
VOBIS, MÆCENATFS MAXIMI dicatam pati

NOBILISSIMORUM NO

*Cliens*  
JACOBUS

OFFICINARUM FERRARIARUM  
POSSESSORI  
NOBILISSIMO  
DOM. ROBERTO  
FINLAIJ.  
MAXIMI.

*collata, beneficia nihil rependere valet Filius; ae-  
tissimi, & venerabundi animi interpretem, quam  
amini, submisse rogat.*

MINUM VESTRORUM

*Devotissimus*

LINDH.

VIRO  
MARTIS SUÆ EXPERIENTIA  
CLARISSIMO,  
REG. ACADEMIÆ UPSAL. CHIRURGO  
*Dom.* CAROLO NICOLAO  
HULTMAN.  
FAUTORI PROPENSISSIMO.

TIBI, cui maximo jure primitias Studiorum meorum debeo, hosce Fructus, animi Tui erga me propensissimi, Sacros facio.

Non Priami vel Nestoris annos Tibi opto, sed, quid Medicorum est, corporis vigorem & Sanitatis robur, id est, ut diu valeas, est enim longa vita, non diu vivere, sed valere.

CLARISSIMI NOMINIS TUI

cultor humillimus  
JACOBUS LINDH.



D. D.

§. I.



cientiam, conservationem fani corporis humani edocentem, vocamus Diætam. Pars ejus tradens esculenta, uti latissime patet, ita etjam utilissima est; hanc vero minus sufficienter tractatam, immo, a Medicis, in methodo medendi s̄epe neglectam esse vereor. Sicut enim plurimi morborum, cauſam agnoscunt errorem in Diæta, ita Medici oleum & operam perdunt, ægro adhuc contra Diætam peccante, quoniam Dosis esculentorum, semper Dosin superet Medicamentorum. Ea inter, quæ plurimum postulant attentionis, merito referuntur *Pinguia*. Hæc ejus sunt indolis, ut nec nos, qui intra Zonam vivimus frigidam, & qui persæpe carnibus vescimur, nec illi, qui in calidioribus degunt terris, atque creberimos cibos, a regno captant vegetabili, illis, in vietu communi carere possimus. Corpus præterea nostrum ita constitutum est, ut vita vix perfisteret,

nisi

nisi a Deo Tela Cellulosa præditum esset. Creato-  
ris providentia in eo quoque elucet, quod nusquam  
locorum desint pingua. Nos utimur axungia por-  
cina; in Europa Australi crescit Oliva; aliis locis  
Adeps Phocarum & Cetorum infervit; omnia præ-  
terea, quibus vescimur, oleosi quid porrigit; o-  
leum aquæ commixtum sit emulsio, & hoc illud  
essentialis est, quod vitam nostram sustentat, atque  
cibus minimam hujus olei copiam habens, est aqua  
& panis, quare pœnæ est genus, quod a Magistra-  
tu delinquentibus infligitur, eoque pollet rigore,  
ut si serio res agatur, vix ullus, spatio unius mensis,  
id sustinere possit, etiamsi corporis antea habita con-  
stitutio, heic aliquam admittat differentiam. Ete-  
nim copia gaudens pinguedinis, minus inde, qua  
vires vitæ debilitatur, ac macie antea attenuatus;  
ille enim majorem habet copiam adipis abundantis,  
qua nunc consumitur. Fame vero affuetus, mi-  
nus vexatur quam ille, qui semper solitus est ven-  
tre cibis distento, onerari. Pinguedo proprie ad  
Diætam spectat, cum illa, quam in corpore geri-  
mus humano, tum etjam, qua ab animalibus ve-  
getabilibusque colligi solet, & inter alimenta no-  
stra frequentatur; illa ~~h~~uc referri potest, quatenus  
Diæta rite instituta obtinetur; hæc vero, quia in  
omni ciborum attributur genere, & ex ejus usu vel  
abusu status corporis & sanus & morbosus, magna  
ex parte pendet. Et hæc leviter, pro virili parte,  
pertractare in animum induxi.

Omnia, quibus veicimur, peracto ventriculi  
 intestinorumque officio, in massam sanguineam ef-  
 funduntur, ubi colantur, mut leviora, per sudorem,  
 lotum, aliasque excretiones abeant; alimentare  
 vero nutritioni impenditur, nempe ad restaurandum  
 id, quod vita destruxit laboriosa, vel etiam ad ne-  
 cessarias excretiones; quod tunc superest, aut vio-  
 lenter per excretiones expellitur, vel etiam in  
 corpore incorrumperit, hecresque accedit, aut  
 in Tela Cellulosa, ad futuros usus, colligitur.  
 Corpus humanum, aut a gelatina, aut ab emul-  
 sione, si stentatur; in gelatinam degenerant Car-  
 nes solutæ; Vegetabilia vero emulsioni ansam præ-  
 bent. Pingue, aqua solutum, lacte seit; amygdala  
 aliaque semina si prelo torqueantur, dant oleum,  
 contusa vero cum aqua emulsionem constituant;  
 quare etiam lac, emulsio & Chylus fere sunt unum  
 idemque, in multisque conveniunt circumstantiis.  
 Oleum itaque sustentationi corporis maxime deser-  
 vit, hoccine vero qut regnum vegetabile, aut anima-  
 le nobis suppeditant. Australes plurimum Oleis  
 fruuntur expressis, quorum usus minus quidem a-  
 pud nos vulgaris est; olea etenim nostra, ab anima-  
 libus potissimum desumimus. Hæc olea duplicis  
 generis sunt, nempe Butyrum vel Pinguedo; il-  
 lud ab emulsione vel lacte animalium præparatur,  
 multumque a natura vegetabili in se habet, immo  
 oleum vere vegetabile salutari potest. Pinguedo  
 nihil aliud est, quam chylus supervacaneus, in na-

turæ collectus repositoriis, quando animalia plus capiunt alimenti, quam vita eorum laboriosa dissipat, duplumque apud nos involvit considerationem, vel ut Sebum, vel ut Axungia. *Sebum* nobis præbent quadrupedia Ruminantia, quin & ordo Gallinarnm in republica avium; apud illa coagulatur Sebum ab acido vel coagulo, cuius magna copia in ventriculo eorum tertio exstat; *Gallinæ* vero, tali gaudent, in eorum ventriculo musculofo, acido; quod lacti impositum, id peculiari coagulat modo. *Sebum*, *axungia* quidem citius, a viribus superatur vitæ, minus tamen in vieti communi, quam in œconomia usurpatur. *Axungiam* præsertim ab ordine Anserum & Sibus colligimus; *axungia* enim ferarum minus gula nostræ arridet. *Sus* animal contemptissimum, quod censetur impurum, quod est in vita sordidum, quod saepius alimentum capit ab iis, quæ ipsa abhorret natura; hoc, inquam, idem est animal, quod fere omnia nostra fercula palato reddit gratissima, & sine quo vix ulla cæna instrui potest; neque heic viatum animalis magis respicere debemus, quam frumenti, qui stercoribus saginatur. Quoniam isto animali utimur ejusque lardo tam ad cibum, quam ad alios in œconomia usus, ipsius qualitatem proprius considerare debemus, immo mores & Diætam, quæ ad Suum concurrunt conservationem, accurate perpendere. Hinc normæ deduci denique possunt Diæticæ, & conservationi, & destruetio- ni nostræ ansam præbituræ.

## §. III.

Inter quadrupedia genus constituit SUS, quod ordini adscribitur Bestiarum; dentibus incisoriis enim in utraque gaudet maxilla, quorum medii sunt distantes; & laniarii non sunt solitarii, sed plures ex utroque latere. *Character generis patet ex Dentibus Primoribus superioribus quatuor convergentibus; inferioribus vero patulis, & prominentibus; Laniariis ubique binis a se & reliquis spatio remotis; Pedibusque ungulatis.*

SPECIES generis apud Auctores quatuor numerantur. SCROFA, PORCUS, TAJACU, & BABYRUSSA, quorum prima tantum Species, ad nostrum pertinet forum, utpote una nostris culinis usui est, & *Scrofa dorso antice setoso, cauda pilosa* vocatur. *Faun. Svec. 36. Syst. Nat. edit. 10. p. 49.*

A Porco distinguitur cauda pilosa nec nuda; a *Tajacu* cauda existente nec deficiente; a *Babyrussa*, quæ habet pilos molliissimos, & fere laneos, & dici nequit illam habere dorsum antice setosum; ut taceam, quod *Babyrussæ* dentes laniarii superiores e dorso maxillæ prodeant, non sicut in aliis animalibus, sed, modo prorsus peculiari, ossa & integumenta frontis perforant & instar cornuum prominent.

Varietates *Scrofæ* plurimæ sunt, ex quibus Auctores diversas constituerunt species, ut:

a) APER. ab hoc sine dubio reliquæ varietates originem trahunt, etjamsi plurimi ex eodem, differentem sibi fixerunt speciem, ut *Rajus*, quod *co-*

loribus non variat, sed semper servat nigro-subcane-  
nescentem; quod nostrum multo productius, quod  
auriculae breviores, rotundiores, nigræ, ut & cau-  
da, & pedes; quod pilis vestiatur duum generum,  
aliis brevioribus, aliis longis, secus quam in dome-  
sticis. Kramer. Austr. quod setæ profundius radica-  
tæ, quodque lardi absentia integumentorum com-  
munium diversam efficit structuram: Sed hæc o-  
mnia a loco & modo vivendi, proficiisci possunt;  
vitam enim degens sub dio, copiosioribus tegitur  
pilis; multum fodiens fortius sibi parat rostrum;  
magis se movens, minorem copiam lardi, majo-  
rem vero carnis, sibi conciliat.

b) SVS CHINENSIS Iter Vestr: '62, Scan:  
72 Multum quidem a cæteris distat, corpore fere  
nudo, instar canis nudi, & abdomine ad terram us  
que pendulo, specie tamen distinguui non debet,  
quoniam reliquæ qualitates & ipsa anatomia eum  
cum cæteris ejusdem speciei esse, convincunt.

d) MONUNGULA varietas sæpe circa Upsa-  
liam habitat, mihi que latet, annon in aliis sit ob-  
servata locis, in nullo alio a cæteris differt, exce-  
ptis ungulis, quæ instar equi, monungulæ sunt.

d) Colorum & Magnitudinis varietates sunt  
in domesticis fere innumeræ. Color hujus variat ex  
albo, luteo, nigro, rubro, & cinereo, nunc uni-  
colores, nunc discolores. In australibus majores  
sunt, & Sues Hispanici dicti, magnitudinem vitu-  
lotum sex mensum inatorum, superant.

DESCRIP<sup>T</sup>O.

Hujus animalis descriptio fere difficillima est & vellus vix nisi in porcellis, natu minimis, describi potest. *Caput* oblongum, declinatum, desinens in proboscidem, cum fulco oculis versus proboscidem utrinque ducto. *Auriculae* ovatae, acuminatae, integræ, lateribus seminudæ, marginibus barbatis, intus rugis soepius quaternis profundis. *Oculi* parvi, minus prominentes: *Pupilla* atro-cærulea, orbiculari, dilatabili; *Iris* obscure cinerea. *Membrana* nictitans subgrisea. *Palpebra* superior ciliata; inferior mutica. *Supercilia* longis pilis ornata. *Proboscis* sensim attenuata, oblonga, pilis brevissimis testa: apice truncato, cordato, subcartagineo, magine prominulo, nudo, lævi, punctis excavato, naribus perforato. *Nares* rotundæ, parvæ respectu proboscidis. *Labia* proboscide brevia, tenuia, lævia, ad dentes laniarios inflexa. *Labium inferius* brevius, acutius. *Vibrissæ* nullæ. *Dentes molares superiores* sex: quorum tres interiores obtusi, tres vero exteriores cuneati, subtrilobi. *Inferiores* quini; duobus molaribus interioribus; tribus cuneiformibus, subtrilobis. *Dentes laniarii Superiores* solitarii, breviores; *inferiores bini* remoti a se & reliquis: exteriore majore, elongato, spœpe extra labium prominens, recurvus, subtriangularis. *Primeros superiores* quatuor, breviores: intermediis distantibus. *Inferiores* magis prominentes octo: lateralibus minoribus. *Verrucæ* nullæ præter unicam sub gula, setis quinque longioribus rigidioribus instru-

instructa. *Collum* crassum compressum, dorso magis nutans, ad duas vel tres pollices depresso. *Truncus* dorso rotundatus. *Dorsum & Collum* supra setis rigidioribus, longioribus, confertis subfastigiatis ornatum. *Corpus* reliquum vestitum pilis rigidiusculis, ad posteriora versis, at vero sub collo, a jugulo ad mentum, antrorsum reversis. *Cauda* ad genua usque pendula, soepius oblique curvata versus alterum latus, villis tecta. *Mammae* decem, abdominales, soepe etjam duæ papillæ spuriæ subjugulares. *Pedes* breviores, pilis tenuioribus vestiti, biungulati, & postice *ungulis succenturiatis*. *Suturæ* quintuplices sunt a). *Dorsalis* longitudinalis a capite ad caudam b). *Abdominalis* longitudinalis a jugulo ad regionem pubis c). *Inguinalis* utrinque extrorsum arcuata, ab umbilico ad femora. d). *Pedum anticorum* postice a cubito ad ungulam succenturiatam exteriorem e). *Pedum posticorum*, postice a genu ad ungulam succenturiatam exteriorem.

## §. IV.

## DIÆTA.

VICTUS hujus animalis admiratione dignus est, a rebus ejusmodi enim escam plerumque petit, quæ ab aliis quadrupedibus contemtæ sunt, immo eousque procedit, ut Stercera consumat humana, quæ tamen, mulcta veluti imposita, vetita sunt, ne ab aliis attingantur quadrupedibus; quare etjam, hoc adeo in despectum venit, ut semper a nobilioribus, salva reverentia nominetur; Pernæ vero

vero etiam si sint partes hujus animalis, absque reverentia, tamen a nobilioribus, & politioribus comeduntur, adeoque in his morum calamitas. Ast vero, etsi Sus aliorum vescatur excretis & immundis, cibos tamen magis, quam alia animantia, felicit; plures enim Plantas, præ cæteris animalibus Phytophagis, respuit, quod satis a Pane Sveco constat. Foliis vescitur plerisque graminum; Herbasque eligit succulentissimas. Minime vero contentus iis, quæ supra terram crescunt, culinam suam rebus, terra absconditis, reparare cogit; nec omnes Radices, sed tantum succulentas & maxime se multiplicantes, sectatur. Præcipue Radibus Scorzonerae, Tragopogonis, Leontodontis, Filipendulae, Stachyos palustris & Cumini delectatur. In Væstrogothia, Scania, & Smolandia, ubi Scorzonera in pratis crescit, adeo a Suibus effodiuntur prata, ut inde statim concludere liceat Scroponeram ibi habitasse; idem obtinet etiam apud nos, ubi Filipendula, in pratis argillosis, frequens est, quæ semper a Suibus infestantur. Videmus Sues, per integrum diem, agros effodere, nobisque inde magnum in œconomia pollicemur commodum; quippe persuasum habemus, illos, radices extirpando Tritici repentis, agros bene purgare. Sed falso; Sues enim delicatori gaudent gula, quam ut tam tenui pascerentur cibo; ejus vero loco, Radices ibi reperiunt Stachyos palustris; arva sunt pulverulenta, nec multum laboris illis opus est, ad viatum ibi acquirendum. Sæpe etiam densissima steri-

sterilissimaque Pineta diligenter fodiunt, ubi terra  
 frondibus acerosis adeo tecta est, ut ne herbam quan-  
 dam viridem admittant, & miremur forsan quid il-  
 lis in tali occurrat loco, ubi nihil praeter duras ra-  
 dices observamus arborum, quibus minime dele-  
 etantur, ibidem vero *Tubera* effodiunt occulta. Ca-  
 daveribus quoque & intestinis vescuntur animalium;  
 nec Lumbricos spernunt, ab ipsis deprehensor; at-  
 que ita animalia sunt vere polyphaga. In deliciis  
 vero eorum habentur fructus cum artificiales, tum  
 naturales; nomine naturalium insigniuntur varia  
 frumentorum genera: Nuces, Glandes, Poma, Py-  
 ra, Baccæ, Rapæ. Fructus artificiales, sunt panis  
 aliaque farinacea, quibus, loco fructuum natura-  
 lium, saginantur. Frumentis ut parcatur, suc-  
 cedaneum vieti eorum, panis a cortice Pini confectus  
 subministrat; quo ipsi frequenter apud Dalekarlos  
 saginari solent. Quisquilias quoque varias, &  
 rejectanea succulenta, ab aliis neglecta animalibus,  
 consumit sus. Quando *Fagus* in Provinciis Patriæ  
 australibus fructum fert, quod quidem quotannis  
 non fit, at copia tamen majore, tunc Sues ex adja-  
 centibus, tempore autumali, illuc adiguntur; re-  
 ducentur vero circa brumam, adeo pinguedine dif-  
 fluentes, ac antea macie confeerti erant; lardum in-  
 de fagineum, inter coquendum fere liquefscens,  
 juscum gratiorem saporem reddendo, conciliant.  
*Glandibus* nutriti *Quercinis* firmius, & frumentis  
 adhuc multo dulcius, adipiscuntur lardum. In in-  
 sula St. Thomæ, aliisque Indiae locis, Sues fecibus  
 sagi-

saginantur *Sacchari*, unde carnes teneras opiparas, instar caponum, acquirunt. Romani olim illos *Caricis* saginabant, carnes lautissimas reddentibus; at in primis hepar, magni a *Caricis* censebatur. Vilissimum vero accipiunt lardum, qui ad littora Conchis & Piscibus aluntur.

**MOTUS.** Hoc animal omnium lentissimum est, nisi concitetur; incedit ideoque tardius, atque est segne, & satiatum lubens quiescit.

**SOMNUS.** Inter reliqua animantium somno singulare est; molliter cubat, lectoque gaudens leni cum ipsis aulicis in dormiendo, ad meridiem usque, certat. Pene quidem a diurno & calido aluntur lecto, sed debiles evadunt. Instante tempestate stramina ad cubilia sternenda congerunt, ut in illis leniter & tepide quiescant, quare etiam in silvis domicilium ad dejectarum arborum radices eligunt, umbraculum & solum habituri mollius.

**AER.** Etjamsi apud nos graves sustineant hyes, minores tamen apud nos sunt, quam in australibus, nisi alimentum calorem resarciat; tempore verno videmus, quanta cupiditate, apricitatem quærant, adeo ut cibum, hanc ob rem saepè negligant, & e contrario autumno & hieme quantum vexentur aëris injuriis, dum ejulant, inquieti currunt, gestantes stramenta, ut inde præfigire possimus instantes tempestates.

**EXCRETA.** In venerem segnes, tardi, tenaces, laxoque pene. Femina fœtifera, plures saepè parit porcellos, quam alia mammalia, quem in finem pluribus etiam prædicta est mammis.

AFFECTUS. Minus hisce moventur Bestiæ,  
quare illos silentio præterire volo.

## §. V.

MORES. Sicut hoc animal singularem eligit viëtum, sic mores quoque habet singulares. Cibum maxima capit aviditate, eundemque optime masticat, deinde salivam melius ingerendis commiscet, quod per necessarium est illis, qui bene nutriti cipiunt. Somno tranquillo stratoque leni & calido delectatur. Est quoque lente festinans, tardum, passus quasi numeratos currit, nec facile terretur, potissimum cicur; sibi invicem quoque opem ferre semper conantur, adeo, ut si unum hæreat in sepe, undique in anxie clamantis auxilium magnus fiat ac cursus. Irritatis periculosest obviam venire, exempla enim plurima exstant, quod in canem quendam exacerbati, circulo illum incluserint, & mordendo trucidaverint. Pollent eximio olfactu, cuius ope escam & radices, profundius terra absconditas, investigare possunt. Ventorum injuriæ præsagus est; unde fit, ut, imminente tempestate, magno cum ejulatu, stramenta ad cubilia sternenda congerat. Fertur etjam stupidissimum esse omnium animalium, unde proverbium: pinguis Miner-va, hoc est, minus ingeniosa; Nec facile observa-mus illos invicem ludere; quod tamen pleraque animantia juniora faciunt; sed omni cura ad viëtum comparandum trahuntur. Nec aliis, quam succulentis vescitur, unde Chylus copiosus, & bene nutriens conciliatur. Ea præcæteris gaudet faculta-

re, ut proboscide fodiat. Aliud non datur animal, quod ejusmodi profundos sulcos exarat. Id nempe peculiari peragit instrumento a Creatore sibi concessio, inque cartilaginoso consistente proboscidis orbiculo, qui elevatur & rigescit ope duorum musculorum, a margine inferiori ossis Zygomatici orientium atque in duos validos tendines, orbiculo huic affixos desinentium. Horum invisa colonis ut cohibeatur pratorum effossio, agricolæ & quidem lege obstricti sunt, rostrum eorum quotannis annulo munire ferreo, sive subula rostrum perforare, eidemque breve filum ferreum intrudere, illudque ita adtorquere, ut rostrum vi hujus setacei semper doleat, & illi a fossione se abstineant; quæ quidem singularis est operatio, & sub horrendis suscipitur clamoribus. In Itin. Vestrogoth. modus minime spernendus communicatur, semel rostrum ita castrare, ut nunquam postea fodiant, quod fit, si tendines dictæ proboscidis absinduntur. Celebre omnino inventum, & facillime in porcellis exercendum. Pollicari spatio ab extremo rostri, scalpello absindi possunt tendines; si vero proprius absindantur facile cartilago nasalis lædi potest. Hoc modo immunes erunt agricolæ ab eorum fossione, neque opus habent, quovis vere, strepitum & ejulationem eorum, aures fere frangentem, exaudire. Huic tamen, ut in multis aliis, invento, repugnat intempestiva vulgi commiseratio.

## §. VI.

MORBIS variis, pinguedinis caufsa, vexatur

C 2

hoc

hoc quadrupes; iisdem fere pinguedine abundantes homines subjecti sunt, quare etiam paucis illos attingere volo.

**SCABIES.** Præpingves variis præ aliis vexantur cutis exanthematibus; idem in suibus evenit; apud nos plerumque, scabie laborant homines ferente æstate, quæ sponte versus hyemem cessat; Australiores & calidi orbis populi scabie, præ septentrionalibus, magis laborant. Valde periculose, immo summe noxiæ est, lardo Suum, scabie infectorum, vesci; exemplum enim habemus in vi-  
dua pauperrima, quæ cum filiis suis scrofam, scabie confessam, quam mactaverant, esitabat, unde omnes in lepram inciderunt.

**PEDICULI** & scabies sœpius comitantur. Infantes succulentos plerumque infestant pediculi, siccam vero fugiunt senectutem. His morbis medentur agricolæ, vel unguento Mercuriali, & decocto Ledi & Lycopodii vel etiam has herbas in Suum ponunt cibilibus.

**SCROFULÆ** dicuntur medicis, dum glandulæ sunt infarctæ, nomenque ab hoc commodarunt animali. Generantur in eorum lardo tubercula instar lendium, præsertim quando farinosis inclusi saginantur. Quid vulgarius est in gulosis pueris, qui plus sumunt alimenti, quam ad corporis requiritur sustentationem, quam quod glandulæ colliguntur & fiant infarctæ? qui morbus difficulter sine motu sanatur, atque potissimum se exserit, si fructus devorent crudos, atque, autumno & hie-

me,

me, inclusi teneantur pueri. Adcurandum scrofulas suum, antimonio crudo utuntur rustici.

**GRANULUM** palati sive Svet. oret; suum morbus est, se prodens tuberculo ad radicem lingvæ enato, unde difficultas edendi oritur; qui morbus adhuc non satis perspectus est Malomedicis; contra eum vulgo datur Triglochin Juniperi, at quo successu nescio.

### §. VII.

Quamplurima prostant e Sue in culinis præparata, unde *Plinius* in his: *innumeræ fere ganeæ matieres*. Horum præcipue sunt *Pernæ*, vel *Petasones*, quæ etjam a nobilioribus in deliciis habentur; illas salfas, fumo induratas & coctas in exordio comedimus Cænæ, tum quia potenter alunt & latrarent domant stomachum, tum ad excitandam orexin; harum optimæ censemur Hispanicæ, Westphalicæ, & Lubecenses. Rustici apud nos, instantे vere, suis vescuntur Petasonibus crudis cum piperis pulvere, fumo & sole induratis; quæ quidem vehe- mentius alunt, sed motum & robusta postulant intestina. Mos etjam illis est lardum dissectum in cor- tina assare, qui cibus est solidus operariis, seden- tariis vero admodum noxius, si vero ab hoc cibo mox tenuis potus ingurgitetur, Soda frequentissime acceditur, nisi labor ingens, & validus ventricu- lis huic obliterint malo.

**CINCPITIA** *Suilla* fumo indurata minime a laboriosis spernenda sunt, vel etjam recentia inter trunculos consumta, dum pedes & caput coquun-

tur & denique salfagine præparantur, quæ solide nutritunt & minus incommodi sua pariunt pinguedine.

Ferculum nobis quoque paramus a Costis, quæ carne abrasa, veru vel craticula assantur, vitamque exigunt laboriosam, pinguedo enim combusta difficilime resolvitur.

**BOTULI** quoque multum valent apud agricultorū, ut majore pollentes pinguedinis copia præ alio farcimine.

**TOMACULA** a carne eorum parata syavissima sunt, quorum Boloniensia plurimi æstimantur, secundum obtinent Lubecensia locum, quæ a delicatioribus minime respuuntur. Immo vix Tomacula ab aliis conficiuntur quadrupedibus, nisi a lardo grata reddantur.

**SUMINA**, quæ tanti fuerunt apud Romanos, nostro ævo obsoleverunt: ibi enim nulla cæna sine sumine adornari potuit. Sumen vero fuit abdomen scrofae mammis abundans, lacte turgidis, quod exscindebatur, vel paulo ante, vel etjam statim post partum; hoc assatum, ferculum erat illis præstantissimum. Tanta copia apud Romanos consumebatur sumen, ut Imperator Severus, censoria lege prohibere necesse habuerit, suminatam suem non esse occidendam, ne hæc animalia Romæ penitus interirent ac deficerent.

**VULVÆ** Romanis itidem maximopere perplacuerunt, unde, an in ulla re major veterum fuerit insania, vix dixeris; erat Vulva triplex EJECTITIA, **PORCARIA** & **STERILIS**.

EJECTITIA vulva suis gravidæ, a scrofa abortum passa sumebatur & abortus violentia provocabatur. Ergo Plutarchus de *Esu Carnium*. *Alii*, inquit, *uberibus suum fætarum instantे partu insiliunt* & calcant, ut sanguinem, & lac, & tabem fætus simul imperfecti inter matris dolores eximentes, prob *Jupiter*, & maxime inflatam animalis partem vorent.

PORCARIA vulva uno die post partum excisa, quam optimam haberent primiparae.

VULVA STERILIS Suis, quæ nunquam porcellos enixa fuit; nonnulli putant scrofas fuisse castratas, hoc est, ut excideretur clitoris; sed sues clitoride carent. Hæ omnes tantarum fuerunt deliciarum, ut Poëta Horatius cecinerit:

cum sit obeso  
Nil melius turdo; nil vulva pulchrius ampla.

#### §. VIII.

Paucis ex hoc animali in Medicina utimur, quorum præcipua sunt.

DENTES APRI aut suis domestici eandem habent qualitatem & vim, atque perinde est utrum horum sumantur; Pulveres absorbentes interdum ingrediuntur.

AXUNGIA *communis* nihil est aliud, quam axungia suis. In officinis, complures habemus axungias, sed sufficeret, si hæc sola adesset, quæ recens, minime vero rancida, esse debet, nisi scopus sit calefaciendi & penetrandi. In plerisque unguentis, pro basi axungia opus est, ad emolliendum, & faciendum ut immixtum penetret medicamentum.

LAC

LAC *suis* medicina est præstans in Cophosi & Tinnitu aurium, quod plurima convincunt vulgi exempla, qui inumeris fere usi medicamentis, tandem laete suis sanati evaserunt.

SETÆ in suffimugiis excitant hystericas.

STERCUS *suillum*, sive Succerda, officinale quidem non est; merito tamen medicina heroica salutari potest, pauperibus ad repellendum commendanda, præsertim ad fluxus fistendum sanguineos. Talis succerda recentissima vel ab animali etiam num calida & fumans naribus apposita hœmorrhagiam sistit narium, dum alia fallunt remedia, quod fit repellendo.

In Dysenteria est succerda ad Drachmæ pondus assumta, utut nauseosa, & abominabilis medicina, tamen præsens; ergo pauperibus porrigenda, quorum opes pretiosa dissuadent medicamenta, quique tali remedio curari multo malunt, quam vita privari.

DIAPHRAGMATE utuntur agricolæ, mirabili cum eventu, emplastri loco in fracturas & contusiones; aërem excludit, vulnera emollit & dolores mitigat.

### §. IX.

Permulta essent, fateor dicenda; de suum usu œconomico, at siquidem in alio foro pertractantur, heic illa missa faciam. Interim tamen, quoniam moris est apud Materiæ medicæ scriptores simplium suorum culturam & usum œconomicum adtingere, pauca hac de re momenta adducam.

Uſus,

Usus, quem in œconomia naturæ præstant  
 hæc animalia, in eo præcipue consistit, quod illi  
 escam quærendo, terram effodian, pulverem mol-  
 lem reddant, atque sic ansam præbeant aliis plan-  
 tis, semina sua in talem exultam deponendi ter-  
 ram, unde facilius crescunt. Sine dubio etiam  
 eandem ob caussam Tubera, ad radices deposuit  
 Creator arborum, ubi terra frondibus acerosis te-  
 sta, disseminationi plantarum vix locum relinquit,  
 heic ut sua fossione terram exarent, illis imposuit  
 natura, inque mercedem laboris, cibum illis ex tu-  
 beribus paravit. Omnes herbæ suis infestantur ab  
 hostibus, vel infectis vel aliis animalibus, quæ il-  
 los destrucent, ne unum genus supra modum, pro-  
 pagetur & alia suo vigore priventur; suum vero  
 dominio ipsas radices succulentas, & plurimum se  
 multiplicantes, natura subjicit. Alias propterea  
 commendantur, quod maxima anni parte, ad mi-  
 nimum, quamdiu terra non sit gelu indurata, se  
 ipsos sustentant, scilicet animalia sunt polyphaga,  
 & non solum graminibus, sed etiam radicibus va-  
 riisque quisquiliis atque rejectaneis succulentis nu-  
 triri possunt, unde pauperes agricolæ, aliis destitu-  
 ti jumentis, sues sœpe alunt. Molestia tamen cir-  
 ca eorum culturam occurrit, quod ii radices suas  
 indagando, fertilissima corrumpant prata; deinde  
 quod sepes portasque sepimentorum violenter per-  
 fringant, adeo ut rustici, eorum cassa, agros suos  
 fortiore includere sepimento cogantur; præterea  
 sunt immundi, fœtentes atque inquinantes, quare

urbibus & areis odiosi. Catesbæus narrat colonias collocaturos in America septentrionali, siue si bi acquirere coactos esse, qui Crotalos devorent & extirpent; scitu quoque dignum esset, annon sues apud nos devorent serpentes, vel ab illis lændantur? mihi sane nullum hujus rei constat exemplum. Præter numerata, permagnas nobis in cœconomia utilitates, adferunt. Nonnulli gentes illos ad Boletum cervinum investigandum instruunt. Esetis conficiuntur varia genera scoparum, ad purgandum caput, vestes & ædificia. Anatomici, ope setarum, in foramina & minimos canales inquirunt; Sutores illis pro arista filorum carere nequeunt. Dentibus utuntur deauratores ad levigandum deaurata.

Macie laborantes ut corpus athleticum acquirant, Diætam, suibus similem, necessario servent. Omnium primo suis modo, nullis aliis cibis ac succulentis fruantur, succulenta enim potenter alunt, arida vero exsiccant. Nunquam illos obesos evadere observamus, qui plurimum cibo duro & aliis falsamentis sustentantur, a rebus enim ejusmod Chylus laudabilis parari nequit, oleum enim nutriendis partim exsiccatum est, partim a sale consumtum. Contra autem, talia a quibus emulsio elici potest, ea pinguedinem accelerant, longa enim non egent præparatione, quin in Chylum abeant. Optime vero, & citissime pinguedinem accelerant dulcia & saccharata, quorum præcipua sunt, Cäricæ, Pas-

Passulæ, Uvæ, Amygdala, Saccharum; & quæ  
 plura sunt. Pauperes in Europa australi ad custo-  
 diam vendemiarum delecti, Uvis & Caricis, bre-  
 vi tempore, pinguedine abundant. Denique re-  
 quiritur, ut suis modo cupienter cibus capiatur,  
 & bene manducetur, ut saliva cibo rite misceatur,  
 minime vero justo celerius & semimansus degluti-  
 ri debet; proverbium est apud Arabes, quod illi,  
 qui cibum minus manducatum citius deglutiunt,  
 animam propriam odio habent: panis diutius man-  
 ducatus, in Chylum fere transit. Somnus suffi-  
 cientissimus est, quo copiosius enim homo dormit,  
 eo minus disperguntur vires vitæ, hinc minor co-  
 pia Chyli ad partium consumitur nutritionem,  
 consequenter plus pinguedinis in naturæ colligi-  
 tur repositoriis; accedit, quod adeps optime inter-  
 dormiendum secernitur; nimium lucubrantes  
 vix pinguedine gaudent, etiamsi plurimum su-  
 mant alimenti. Omnis labor relegandus est, labor  
 enim dispergit quidquid a vieti fueris lucratus; ut  
 taceam pinguedinem, quæ sudore nimio amittitur;  
 rustici nostri laboriosi, & operarii, abdomen pro-  
 lixum non ferunt. Curæ, sollicitudines, anxieties  
 & tristitia omnino absint. Ut & nimia venus,  
 maxime vires vitæ debilitans. Verbo, quicunque  
 emaciatum gerunt corpus & idem in eusarchum  
 transforme gestiunt, ex Suis Diæta facile percipi-  
 ant natura docente, instruere suam. Sit cibus suc-  
 culentus, masticatio ingerendorum optima; mo-  
 tus parcus; somnus protractus; venus tarda; lo-  
 cus calidus; curæ nullæ.

## §. XI.

Modica Pinguedo ad nostram sustentationem quam maxime necessaria & utilis est; adeo ut infelix censematur, qui macie torquetur. Fibras molles reddit; eorum cohibet frictionem; interstitia muscularum implet; cutem undique æqualiter extendit; faciem pulchram efficit; asperitates in massa sanguinea involvit; pleraque viscera sustinet; motus faciles conciliat; viscerum concretionem impedit; quare etiam pingues vulgo sunt læti & hilares, dum e contrario Macres, plerumque sunt tristes & melancholici, vultum præ se ferunt torvum, pallidum & quasi minantem; integumenta rugata pendent; ossa instar collum prominent; articuli crepant; & ad Phthisin inclinant. Immodica & abundans pinguedo minime salubris est; inde enim comprimuntur venæ; circulatio sanguinis inhibetur; respiratio difficilior redditur, nimis enim adeps expansionem prohibet diaphragmatis & pulmonum; inhabiles sunt atque impatiens laborum; variis cutis exanthematibus subjecti sunt; infantes pingues gravioribus infestantur variolis quam macilenti; a pinguedine cohibetur circulatio, morbis soperosis minantur; Atheneus mentionem facit de Dionysio, siculorum Tyranno, maxime ita obeso, ut non excitaretur nisi acubus, quas longitudine diversas sibi in hunc usum paraverat. Nob. D:rus Praeses juvenem vidit Amstelodami immensæ crassitudinis atque inde adeo somnolentum, ut illum saepe somnus invade-

ret vel inter cænandum. Vexantur horripilationibus, instantे tempestate; urente hieme, frigore rigescunt; ac fervente æstate, sudore disfluunt; caveant sibi a violentia frigoris, facile enim pinguedo rigescere potest, unde multi mortem sibi adsciverunt; nec minus periculose illis, primum nimis sudare ac deinde statim refrigrari; plus virium, præ malentis in febribus amittunt, citiusque pereunt.

## §. XII.

Pingvia in solidis sunt emollientia, & obtundentia in fluidis, dulcibus commisceri possunt, qualitates contrariæ sunt stiptica & amara, quare frustra medicinam a medicamentis hujus qualitatis petit, qui simul pinguibus vescitur. Pinguia & imprimis lardum omnium lentissime transpirant, quare etjam Sanctorius in sua statica, carnem agni nam Lardo opponit, ut duo summe contraria, illa quatenus citissime, hoc vero, quatenus tardissime per transpirationem eliminatur. Hæc ratio, hæc norma est, ad quam Diætam dirigere debemus, atque maxime scitu necessaria, quatenus inde consequens sanitas corporis nobis cordi fuerit. Vulgo, esus lardi, sine discrimine, in omnibus morbis, ab iis, qui veram ejus qualitatem ignorant prohibetur, sed in aliis nocet, in aliis minus parit periculi. Subest vero ratio in Febribus, Scabie & Vulneribus, Ulceribus cachecticis, corporibus Gangræna laborantibus, cur prescribatur lardum. In febribus Exanthematicis, Phlegmisticis & Criticis, angue & cane pejus fugiendum,

adeo ut si quis a febribus intermittentibus, median-  
 te medicina ex amaris & corroborantibus petita,  
 convaluerit, & vescatur lardo, nihil est, quod citius  
 febrem provocat recidivam. Quare, cum circum-  
 foranei usum corticis chinæ in opprobrium Medi-  
 corum, primum introducebant, invadebant Medici,  
 a cortice chinæ sanatis, ut capita Suum fumo indu-  
 rata comederent, quoinde constaret, an febris pe-  
 nitus eradicata esset, vel tantum suspensa, sed o-  
 mnes in morbum reciderunt, & Medici naœti oc-  
 casionem, divinam cavillandi medicinam, quæ su-  
 penderet, at non solveret morbum. Unusquisque  
 Chirurgus, vulnera curans, statim percipit, quan-  
 do æger pastus fuerit in cibo, lardo concocto, quod  
 vulnus non gignat Pus album, leve, mite, dulce  
 & chylosum, sed Saniem acrem, viridem, roden-  
 tem, fœtentem, & malignam. Vulnus enim pure  
 chyloso ali debet, si fibrarum embryones in firmam  
 evanescant carnem. In scabie, quæ constat totidem  
 ulcusculis, idem accidit, ac in totidem fonticulis,  
 materia fit acris & æger perinde derurbatur. Par-  
 ratione etjam interdicitur quieti & otio deditis. Quo-  
 niam lardum firmissimum subministrat alimentum,  
 laboriosissimis ergo saluberrimum est, dum e con-  
 trario viœtus tenuis a jusculis, oleribus, similibus  
 que paratus, illis adeo insufficiens est, ut si talibus  
 tantummodo uterentur labori penitus succumbe-  
 rent. Quare etjam hujus viœtus rusticis, bajulis,  
 militibus, nautis, itinera longiora fakturis, omni-  
 busque aliis labore occupatis intensissimo, commen-  
 dandus

dandus est. Veterum Athletæ, qui robustissimis corporis instruerentur viribus, lardo olim alebantur, valedissimam ipsis præbituro nutritionem. Huc etiam venit, quod lardum, constans comparet alimento. Qui fructibus sustinentur horeis, ut custodes viuarum in australibus, brevi quidem pinguescunt, sed abit pinguedo ut venit: hinc sœpe intra spatium unius mensis, eadem laborant macie, ac antea: quidquid enim celeriter subigitur, citius quoque transit. Lardum saltum, sole & fumo induratum ac rancidum, gravius succumbit viribus vitæ, consequenter perniciosius otiosis, sanius vero labiosissimis redditur.

Natura quæ destinavit hominem ad laborem sicut volucres ad volandum, dedit ei coquum culinæ parem, sive gustum ejus necessitati adæquat; illa inquam, Natura effecit, ut savitas lardi eum ad hunc provocet victimum. Quomodo olera & pisa &c. fauces nostras absque lardo mulcerent, præsertim apud nos, qui sub Arcticum polum degimus? Cur igitur Israëlitæ in Vet. Test. hoc ut impurum interdictum erat? Hæc pauca mihi, qua Physico, momenta Diætam tangentia adferrre licet, minime vero ut in castra irrumperem Theologorum. In calidioribus facilis corruptitur, rancescit febresque accedit, quare fit, ut harum incolæ, præsertim sexus sequior minus se moveant, ac præterea Israëlitæ subjecti erant morbo suo endemio Lepra, ubi maxime noxiū erat. Facilime per lardum propagatur contagium, cuius cre-

brio-

briora in historia medica exstant exempla, quod nefarii vespidones, grassante peste, lardum ori agonizantium apposuerint, ut ejus ope, quem vellet contagio afficerent. Esui pinguium, imprimis asinorum & murium majorum, adscribitur Elephantiasis. In Rheumatismo aliisque doloribus ostocopis, lardum recens aliaque pingua minime rejicienda sunt. Oleosa relaxant fibras, & sunt expectorantia, quare etiam cantores in Europa australi, multum olei assumunt, sed perinde Hernias incurunt. Olea rancida interne assumta veneni naturam induunt. Externe vero recentibus incidendo præcellunt. Principalis eorum usus externus emolliendo & maturando absolvitur, transpirationi enim obicem pónunt, poros obturando. Exanthemata extingvunt, adeoque utilia essent externe in Scabie, sed anceps medicina est, ut enim animalculum præsentiam pinguedinis sentiat, profundius penetrat, atque citius quam ut alterum insequuntur possit, atque hoc modo minimus acarus Goliathum quondam interimere potest, vel etiam horrenda excitare Symtomata, quare ita vitandum Charybdin existimone in scyllam incidamus. Tumori Cystico si axungia applicetur, brevi magnum accipit incrementum. Caries ossium pinguis augetur. Contra iustum serpentum, mirabili cum successu, adhiberi potest oleum & interne & externe. In dysenteria necari possunt acari Clysmatisbus oleosis; quin & lumbrici apud infantes, oleo sumto. Observandum tamen est, quando olea interne sumuntur, statim frustum sacchari accipi debet, ne Nausea exorbitur. Sic quoque loco aliorum Emeticorum, feliciter oleum usurpatur cum aqua & penna.

## T A N T U M.

